



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 21. Auria in naval i prælio victor, & Neapolis Pro-Rex occisus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

Montis S. Martini erectum fuit. Horum **Sæcul. XVI.**
 primum mox Hispani aggrediuntur, **A.C. 1528.**
 sed tanta fortitudine repelluntur, ut
 de Gallorum virtute jam melius senti-
 re inciperent, quam nuper in Papienti
 prælio experti essent; nec tamen Hi-
 spani inde adeo animo fracti erant, quin
 protinus octavo post die alterum etiam
 propugnaculum, licet haud feliciori
 successu, subigere tentarent. Moncada,
 quem in Neapolitani Pro-Regis digni-
 tate Lanoyo suffectum memoravimus,
 experiri nitebatur, num forte in expedi-
 tione maritima ejus conatibus benignior
 adspiraret fortuna; hinc sex triremes,
 duo grandiora navigia, quatuor navi-
 culas tormentis instructas, plurimas
 que pescatorum cymbas præter mille
 Hispanos, ac ducentos milites Germa-
 nos admovit, ipsusque triremem magis
 munitam concendit. Hujus expedi-
 tione curam cum Moncada partieban-
 tur Vastius Marchio, Columna Conne-
 stabilis, Roeusius Comes, pluresque alii
 Belliduces Cæfarei, adeo, ut solus A-
 rauisæ Princeps Neapoli persisteret.

§. XXI.

*Auria in naval i prælio viator, & Nea-
 polis Pro-Rex occisus.*

Eo tempore Philippus Auria, Andreæ
 ejusdem nominis Nepos in Salernitano

Sæc. XVI.
A.C. 1528.

tano Sinu cum octo Gallicis Triremibus hærebat; cum vero Pro - Regi nunciatum esset, quod Auria, necnon & milites sui Ducis exemplo inducti non raro relicitis navibus exscenderent, atque usque ad terrestres copias pergerent, hinc octo hasce Gallicas triremes clam opprimere statuit, huncque in finem sex navigia instruxit, eaque veterano milite munivit. Ast Auria a Lautreco de Pro-Regis consilio admonitus, classem suam firmavit, adjunctis quadringentis Sclopetais, quos Gallorum Bellidux ductore Ducrocquo opportune submiserat. Substiterat Auria Capodorsi, cum eidem in conspectum venirent duæ Pro-Regis triremes, quæ fugam simulabant, ut hostem incautius insequentem ad altum pelagus attraherent. Auria vero quantocius tres ex suis triremibus procurrere jussit, ut extra omne periculum essent, ipse autem, ut obliquo cursu in Cæsareos irruere posset, cum ceteris quinque triremibus longius provehebatur; non sine prospéro successu; primus enim tormenti globus ab Auriæ prætoria laxatus quadraginta Pro-Regis milites discerpferat; postea pertinaci cruentoque utrinque prælio consertæ manus, jamque ad sextam omnino horam mutuæ cædis aviditas flagrabat, tandem vero Moncada occu-

occupuit gemino tormenti ictu percus- Sæc. XVI.
A.C. 1528.
sus, quorum uno brachium, altero au-
tem spina dorfi penitus confracta fuit.
Eius quoque prætoria fluctibus hausta
periit, unacum alia quadam navi, cui
præerat Feramusca; cetera vero navi-
gia fuere capta, victorumque furorem
nonnisi duo effugerant, quæ ventorum
vi ad Neapolis portum delata fuere, a
Gallorum tamen tormentis adeo undi-
que lacerata, ut ægre admodum exone-
rari potuerint, priusquam penitus dis-
soluta submergerentur. Capti fuere
Vastius Marchio, Ascanius & Camillus
Columnenses, Princeps Salernitanus,
Vaudrius, Risius, & Princeps S. Crucis
cum pluribus aliis Nobilibus, bellique
Præfectis. Nihilominus ob magnam
hostium repugnantiam hæc ipsa victoria
Gallis funesta accidit; quippe ex qua-
dringentis illis Sclopetariis, quos Lau-
trecus submiserat, non nisi sexaginta in-
columes rediere.

§. XXII.

Cæsar de clade exercitus ab Arausioœ Principe certior factus.

Arausioœ Princeps accepto sinistri præ-
lli nuncio Neapolim ab imbelli homi-
num multitudine exonerabat, militibus

E e 4 vero